DE CARCINOMATE VENTRICULI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIX. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLVIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS PERWO
BORUSSUS ORIENTALIS.

OPPONENTIBUS:
A. STRAUSS, med. et chir. Dd.
S. LEESER, med. et chir. Dd.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

MAXIMOPERE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D

AUCTOR.

Consuetudinem majorum secutus hoc opusculum condidi benevolentiaeque lectorum jam trado. Spero igitur fore, ut lector me non vana quadam scribendi cupidine motum hoc in me admisisse delictum reputet ac sibi satisfactum credat, si libere profiteor, nullum opusculum me jam in lucem emissurum fuisse, nisi lege quadam coactus essem. At legibus obtemperandum est. Quae quum ita sint, diu haesitavi, quamnam rem describendam eligerem, hac re potissimum in angustias compulsus, quod, quae nondum sint nota meliusque explicata, proferre nequeam atque pauca mihi addenda minime apta esse videam, quae lectorum approbationem mihi comparare possint.

In multis autem morbis, quos in nosocomio Caritatis sub auspiciis Cel. Wolff observandi facultas mihi data erat maxime animum intendi in quoddam carcinomatis ventriculi specimen, quod prae aliis mihi mentione peculiari dignum

videbatur. Itaque hoc de morbo accuratius disserere et casum illum in nosocomio Caritatis observatum sub finem hujus opusculi afferre mihi proposui. Si quid vero falsi dixerim, non acerbius vituperare velitis tironem, qui meliora docenti libenter sum secundaturus, nec ut doceam, sed ut docear, haec tirocinia quasi spolia producere volui.

DE CARCINOMATE VENTRICULI.

Ventriculus centrum vegetativae vitae organismi animalis exhibet, etenim functione ejus suspensa nutritio nec juste, nec diu perfici potest. Per nervorum copiam, quos a systemate tam cerebrali quam ganglioso recipit, cum toto fere organismo consensum alit, quod pathologia prope quotidie confirmatur, siquidem haud raro morbi partium etiam remotissimarum ventriculum consensu afficiunt. Praeterea ventriculus, ut via primaria, qua nutrimenta ad instaurationem et medicamenta ad sanitatem recuperandam corpori advehuntur, tot injuriis obnoxius est, ut mirari nos non oporteat, si morbos ejus diversissimos oriri videamus, inter quos carcinoma ventriculi certo periculosissimus, tam medico quam aegroto teterrimus, numerandum est. Prout scirrhus aut cardiam, aut pylorum, aut parietes ventriculi obsidet, vario sese modo manifestat.

Sub nomine „carcinoma ventriculi" plerumque omnes comprehendimus mutationes organicas ventriculi, quae characterem habent telae scirrhosae. Ut jam ante dixi,

morbus iste est teterrimus, nec solum quod gravissimas et atrocissimas calamitates aegrotantibus affert, sed etiam quod arti inexpugnabilis habetur. Quodsi, inter omnes constat, scirrhum externum, qui directam remediorum efficacissimorum applicationem admittit, postremo exitum malignum capere solere, vix mirabimur idem malum ventriculo insidens immedicabile existimari.

SYMPTOMATOLOGIA.

Multi auctores tria hujus morbi stadia distinguunt: 1, scirrhum seu cancrum occultum, ubi sola adest durities, 2, cancrum apertum, ubi induratio in ulcerationem transitura est et 3, carcinoma, ubi ulceratio est perfecta et ichorem carcinomatosum secernit. Quae quidem divisio mihi subtilissima esse videtur, quum in plerisque casibus haec stadia accuratius inter se discerni non possint.

Prima morbi incipientis signa plerumque tam occulta sunt, ut ignorentur vel minoris habeantur, quam par est, quia aegroto, periculi imminentis inscio, exilia videntur, ventriculoque debilitato vel sordibus onerato adscribuntur. Initium morbi certo temporis limite circumscribi non potest et longius per tempus, interdum etiam multos per annos durat. Symptomata tum eadem sunt, quae in gastritide chronica cernuntur. Aegroti de ingrata quadam sensatione in praecordiis, potissimum in regione ventriculi con-

queruntur, digestio laboriosa est et cibi digestu faciles difficile tantum concoquuntur. Serius ocius vel mensibus aliquot, vel annis etiam interjectis, doloribus obtusis et inter et post pastum interdum cruciantur, qui brevi tempore quotidie redeunt. Sensum habent oppletionis et oppressionis in regione ventriculi. In ventriculo ipso toloque tubo intestinali multum aëris, praesertim assumtis cibis validioribus et difficilibus digestu, evolvitur, quo ventriculus et abdomen fere semper extenduntur, sed intumescentia, aut durities hoc tempore tactu percipi non potest. At vero jam vomituritiones praecipue tempore matutino intrant, cum ructibus illae quidem acidis aut foetidis aeque ac cum profluvio aquae ex ore conjunctae.

Haec signa paulatim frequentius graviusque revertuntur aegrotumque summo afficiunt angore. Dolores nunc acerbiores, pungentes a ventriculo ad scapulas dorsumque porriguntur, sub quibus aegroti laxitatem artuum, pertinacem alvi obstructionem conqueruntur et hypochondriacorum animi mutabilitatem expromunt. Etiamnum periodi quandoque incidunt, tam aegrotum quam medicum simulata valetudinis specie eludentes, siquidem omnia symptomata non modo per dies, imo etiam per hebdomades intermittunt. Morbo procedente non solum symptomatum intensitas, verum etiam ambitus increscere solet. Vomitus, ante per intervalla exortus, nunc summis cum doloribus et contentionibus ciborum initio modo solidorum, postea quoque fluidorum haustum sequitur, serius ocius accedens, prout locus ventriculi affectus discrepat. Vomitus fit habitualis, nullo medicamine tollendus. Imprimis intrat duabus vel tribus horis post ingestionem, quum cibi jam

chymificatione magis minusve mutati sunt. Massa ejecta, in qua morbo ineunte cibi assumti evidenter distingui possunt, serius fusca evadit, acida, acris, foetidum spargens odorem. Haud raro quoque sanguis, ex vasis erosis effusus, ejicitur. Alvi excretiones inhibitae, interdum praeter normam adauctae sunt; urina parca, fusce rubra mittitur.

Aliud symptoma pathognomonicum et certo gravissimum carcinomate ventriculi progresso est tumor ille, qui in epigastrio, aut in hypochondrio dextro, aut alio abdominis loco per ventris integumenta tactu sentiri, interdum quoque videri potest. At vero non omnibus in casibus percipi potest, praecipue si scirrhus non magnam habet extensionem. Saepe vero per plessimetrum tumoris circumscriptionem formamque accurate possumus cognoscere.

Manifesta digestionis labe nutritio disturbatur, corpus macrescit, vires magis magisque prosternuntur. Macies celeriter progreditur et facies aegrotorum indubita morbi vestigia offert, etenim ossa zygomatica prominent, oculi multum splendoris perdunt, ut paucis dicam, aeger faciem exhibet abdominalem, quam medici nonnulli dicunt carcinomatosam. Sub morbi finem alia etiam accedunt symptomata, ut anasarca, oedema faciei et extremitatum, interdum quoque ascites. Respiratio fit anxia et difficilis atque aeger postremo ad sceleti maciem redactus diem obit supremum.

Minima existit affectio hujus morbi in systemate vasorum. Nam pulsus plerisque in casibus a norma non recedit et sub finem tantum morbi debilis fit, parvus atque irregularis, saepe quoque usque ad mortem normam non excedit.

Carcinoma ventriculi et in cardia, et in pyloro, interdum quoque in ejus parietibus invenitur. Pro diversa ejus sede etiam symptomata sunt diversa. Si carcinoma in cardia habet sedem, aeger dolores ait a regione ostii oesophagei ordiri indeque usque ad dorsum progredi, quibus inter deglutitionem ciborum solidorum, postea quoque liquidorum, ìmpedimentum in regione cardiae sentit insuperabile. Cibi in ventriculum non pervenire possunt et paulo post deglutitionem crudi, aut muco intermixti, vomitu ejiciuntur et si transitus per cardiam adhuc conceditur, breve post tempus vomitus incidit. Sin carcinoma in pyloro habet sedem, cibi sine difficultate ulla in ventriculum immittuntur. Tumor hoc in casu plerumque manuum palpatione sentiri potest et quidem in dextro latere epigastrii. Dolores hanc regionem occupantes sunt obtusi et aegroti sensum habent, ac si carbone candente vexentur.

Vomitus hoc in casu plerumque duabus demum, tribus vel quatuor horis post pastum intrat et massa e ventriculo ejecta colorem habet fuscum, coffeae similem, odor massae ejectae est acidus. Tenacissima in scirrho pylori est alvi obstructio. Icterus et hepatis pathemata hoc cum morbo complicantur. Omnium rarissime occurrit carcinoma parietum ventriculi, cujus symptomata non sunt constantia. Experientia docuit, omnia singulorum casuum signa non esse fixa, et sola cadaverum sectione plerumque de sede carcinomatis ventriculi nos edoceri.

MORBI DECURSUS ATQUE EXITUS.

Carcinomatis ventriculi decursus solet esse chronicus et aegroti morti succumbunt plerumque longum post tempus. Attamen exitus letalis saepe celeriter ingruere potest, praecipue perforatione ventriculi aut peritonitide. Exitus idem est frequentissimus et etiamsi exempla nobis tradantur, aegrotos nonnullos valetudinem recuperasse, tamen veritate omni haec specimina carent. Subito mors incedere solet rupturis vasorum ventriculi atque haemorrhaghiis inde exortis, aut perforatione ventriculi parietum. Plerumque vero mors adducitur aegrotorum marasmo et exinanitione; aegroti consumuntur fame sitique atque tabe universali.

DIAGNOSIS.

Saepissime est difficile, carcinoma ventriculi discernere a gastritide chronica. In duobus his morbis eadem reperiuntur symptomata et vomitus ipse, quem permulti auctores signum declararunt pathognomonicum carcinomatis ventriculi, in gastritide chronica persaepe adest. Quamobrem haud raro fit, ut in cadavere carcinoma inveniatur, quamquam vita durante nulla hujus morbi aderat suspicio. Gravissimum autem morbi symptoma restat tumor ille supra memoratus, quem cum molestiis dyspepticis et vomitu habituali junctum si per abdo-

minis integumenta percipere licet, diagnosin carcinomatis ventriculi statuere summo jure possumus. At, ut jam supra dixi, tumor non omnibus in casibus percipitur, praesertim si parvus est, aut loco suo movetur, aut in inferiorem abdominis regionem detrahitur, quibus in casibus diagnosis est difficile statuenda. Sed si illa comprehendimus, a carcinomate ventriculi plerumque homines aetate jam provectiores corripi, vomitum illum semper periodicum esse, appetentiam ciborum plerumque magnam, sitim vero non esse auctam, et si colorem istum cachecticum et tumorem, siquidem sentiri potest, respicimus, mihi facile videtur, hunc morbum discernere a gastritide chronica.

PROGNOSIS.

Quam sit infausta prognosis, eo maxime patet, quod plurimi auctores morbum semper in mortem exire contendunt. Et re vera praedictio pessima est. Prosperrimum scilicet dici debet, si tam aeger quam medicus morbi primordia internoscit, si causae remotae prorsus possunt exstingui, aeger non aliis simul laborat affectionibus, viribus floret integris medicique praeceptis ex toto obtemperat. Spes vero minima adest, si initia morbi vel ignorantur vel negliguntur, ac morbus jam est progressus. Pessima est prognosis mortisque imminentis indicium, si vomitus est creber, macies ingens et complicationes morbi, sicuti hydrops et colliquationes super-

veniunt. Tum aegroti vita non sustentari, nec mors ullo modo potest prohiberi.

AETIOLOGIA.

Ut jam supra dixi, scirrhus ventriculi magis morbus est hominum aetate jam provectiorum et saepissime invenitur intra annum sexagesimum et octogesimum. In causis praedisponentibus afferendae sunt hae res. Primum omnes affirmant auctores, sexum virilem magis huic morbo teterrimo esse obnoxium, quam sexum femineum, id quod inde fortasse est declarandum, quod viri saepius, quam feminae, spirituosis abutuntur, quae causa gravioris momenti videtur, quam quod alii volunt, curas atque cupiditates in viros majorem habere effectum, quam in feminas. Tum indoles hereditaria exstat carcinomatosa, nam casus in una eademque familia plures sunt observati. Praeterea causae sunt occasionales, veluti ictus vehementes, lapsus, nimia constrictio et continua ventris compressio, cibi et potus nimis frigidi calidique, abusus nutrimentorum acidorum etc. Et in abusu medicamentorum nonnullorum saepe causa est quaerenda, etenim carcinoma ventriculi pluries abusu laxantium, acidorum et emeticorum adductum esse narratur. Secundum autores nonnullos hic morbus quoque exoritur vita sedentaria incommodisque, quibus haec est conjuncta. Quare saepe reperiri fertur morbus apud textores, sutores, alios qui,

praeter vitam, quam degunt, sedentariam, permanenti in regionem epigastriam pressioni sunt obnoxii; id quod quidem experientia non est confirmatum. Causa morbi proxima adhuc, quod dolendum, in tenebris jacet.

ANATOMIA PATHOLOGICA.

Observationibus novissimis est confirmatum, omnes ventriculi partes carcinomate posse corripi, excepta tunica serosa, et contendunt nonnulli auctores, se vasa quoque ac nervos carcinomate degenerata vidisse. At raro omnes partes una afficiuntur. Saepissime carcinoma sedem habet in pyloro, aut in cardia, rarius in ventriculi parietibus, aut in fundo. Imprimis vero pylorus ad degenerationem carcinomatosam propensus videtur. Omnes carcinomatis formae, carcinoma simplex s. scirrhus, carcinoma alveolare et medullare in ventriculo inveniuntur. Structura vera harum carcinomatis formarum nostris demum temporibus exactissime est indagata et in lucem prolata a viris clarissimis Müller (1) et Rokitansky (2).

Carcinoma fibrosum, s. scirrhus (der Faserkrebs), Müllero auctore tumor est inaequalis, densus, cultro

---

(1) Ueber den feinern Bau und die Formen der krankhaften Geschwulst. 1. Lief. Berlin 1838.

(2) Handbuch der pathologischen Anatomie. Wien 1846.

dissecanti resistens, in cujus superficie dissecta massa grisea conspicitur. Scirrhi textura constat ex substantia fibrosa et grisea s. granulosa. Massa fibrosa speciem refert retis irregularis. Fibrae diversas habent formas. Massa grisea ex parvis constat lobulis, qui paululum modo inter se cohaerent. Multi auctores scirrhum vasa continere negant, Müller autem et Rokitansky in scirrho semper se vasa vidisse affirmant. Scirrhus in organismo plerumque cancer primarius est, raro tantum secundaria cancri forma. Ex omnibus cancri formis scirrhus saepissime in ventriculo obvenit.

Altera species est carcinoma alveolare vel gélatiniforme, C. aréolaire, gélatiniforme, Gallertkrebs. Peculiares hujus formae characteres consistunt in massa gelatinosa. Otto (1) hanc speciem in ventriculo primus observavit. Quo auctore carcinomati gelatiniformi substrata est tela ex multis fibris albescentibus et densis constituta, quibus fibris cellulae magnitudine granorum arenae inspersae sunt. Cellulae plerumque clausae, saepe vero cum finitimis communicantes, illum continent liquorem gelatinosum pellucidum. In illis cellulis aliae et in parvis cellulis facillime parietis nucleus opacus et flavus conspiciuntur. Cruveilhier (2) a carcinomate alveolari distinguit carcinoma areolare pultaceum,

---

(1) Beobachtungen zur Anat.-Physiologie und Pathologie. Bresl. 1816.

(2) Cfr. Rokitansky, pathologische Anatomie. T. I., pag. 355.

in quo massa pultacea, quam aptissime cum pulte ex oryza cocta comparat.

Tertia carcinomatis species est carcinoma medullare, das Medullarsarkom. Haec forma est maxime maligna. Burns (1) eam primus descripsit et nomen ei dedit „spongoid inflammation.“ Postea alii auctores eam desripserunt, ut Hey, Abernethy, Laennec, alii.

Carcinomatis medullaris forma tumorem mollem exhibet, cerebri medullae haud dissimilem. Praeter vasa sanguifera, tumore dissecto, duo diversa elementa conspiciuntur, tela fibrosa et elementum carcinomatis, massa medullaris. Haec massa ex cellis consistit variae formae atque magnitudinis.

Müller (2) carcinomati medullari has adnumerat formas:

1. carcinoma medullare, stromate fibroso pertextum, in quo substantia medullaris, ex cellulis subrotundis constituta, praevalet.

2. Carcinoma medullare, cujus substantia mollissima, cerebro similis ex corpusculis ovatis consistit.

3. Carcinoma medullare cum corpusculis caudatis vel fusiformibus.

Et Rokitansky varias affert formas, in libro de anatomia pathologica accuratius descriptas:

1. Carcinoma mollem praebet infiltrationem medullarem in tunica mucosa.

2. Carcinoma infiltrationem praebet medullarem in strato celluloso.

---

(1) Dissertation on inflammation 1800. Vol. 1. 2.

(2) l. c. pag. 21.

3. Carcinoma tumores praebet tuberosos inter ventriculi membranas.

Haec carcinomatis genera, quae breviter adumbravi, in ventriculo plerumque singula inveniuntur, interdum autem duo simul cernuntur. Ut jam supra dixi, carcinoma fibrosum est creberrimum, quamvis quidem saepe etiam carcinoma medullare, praesertim, Canstatt auctore, in cardia inveniatur. Rarissime obvenit cancer gelatiniformis.

THERAPIA.

Quod ad curam pertinet, carcinoma ventriculi aut difficillime, aut omnino non sanari posse satis constat. Medici est, morbum imminentem, si potest, in evolutione supprimere. Itaque ante omnia, tam causas remotas quam occasionales sciscitetur et, quantum possit, compescat. Aegroti vitam sedentariam degentes frequentiori corporis motioni indulgere et omni ventris compressione abstinere, sicuti omnia quoque spirituosa fugere jubeantur. Elementa omnia dyscrasioa remediis aptis removenda sunt. Ita tantum medico contingere potest, ut morbum in stadio prodromorum supprimat.

Morbo vero progresso omnia remedia vana sunt. Cura tantum symptomatica esse potest. Tum medici est, dolores aegrotum vexantes mitigare, vomitum coërcere alvique removere obstructionem. Aegroto diaeta blanda et liquida commendanda est.

Jam Celsus in libr. IV. de med., cap. V. praeceptum nobis dat laudabile dicens: At si exulceratio stomachum infestat, lenes adhibendi et glutinosi cibi, sed citra satietatem; omnia acria atque acida removenda.

In remediis adhibitis summum obtinent locum et saepissime bonum habent successum narcotica, uti aqua laurocerasi, extractum hyoscyami, extractum belladonnae et opium purum. Haec remedia, etsi morbum non amovent, tamen saluberrima sunt, quippe qui molestias demulcent ingentes. Hufeland (1) permanentem usum commendabat solutionis extracti belladonnae (gr.jj) in aqua laurocerasi (ʒjj), hoc remedium efficacissimum fuisse referens. Pemberton laudabat cicutam conjunctam cum calomelane. Autenrieth argentum nitricum medicamentum esse optimum in carcinomate ventriculi affirmat. Remedium in solutione (gr. 1) ℥vi dedit. Alii auctores alia advocabant remedia. Romberg valde commendat solutionem Creosoti in aqua menthae piperitae. Creosoti gr. IV. per diem dat. Jam mihi afferendum est, applicationem nonnullorum medicaminum externam esse utilissimam. Sanguinis detractiones per hirudines, vesicatoria regioni epigastriae imposita, sicuti fomentationes frigidae aegrotorum dolores cruciantes sublevant. Hufeland moxas impendit et exemplum narravit, quo vomitus doloresque nulli remedio nisi moxae et suppurationi insecutae cesserint.

Quodsi morbus tantum obtinuit gradum, ut nulla vale-

(1) Journal 1815. pag. 11—14.

tudinis spes affulgeat, medici est atrocissimos demulcere dolores vitamque aegroti, quamdiu possit, servare balneis nutrientibus e maltho lacteque, clysmatibus roborantibus et jusculo carnis et vitello ovorum. Ultimum auxilium gravissimumque ab opio petendum est, quod anodynum somniferumque efficacissimum est.

HISTORIA MORBI.

Jam exemplum quoddam descripturus sum, quod in nosocomio Caritatis sub auspiciis Cel. Wolff observandi facultas mihi data erat, cujusque curam in me ipsum recepi.

Gross, e gente George, 62. a. nata, quum in nosocomium Caritatis die 1. mensis Decembris a. 1847. reciperetur, tristissimam hujus morbi teterrimi dedit imaginem. Facies valde erat collapsa ac flava, ossa zygomatica prominebant et totum corpus permagnam maciem habitumque quam maxime cachecticum praebebat. Ut ipsa testabatur, antea semper valida ac nulli morbo graviori obnoxia fuerat. Jam ex septem circiter mensibus aegrotabat. Causam afferre non poterat Saepius vehementibus in regione ventriculi doloribus cruciabatur, appetentia ciborum erat minuta, alvus obstructa una cum vomituritionibus. Paulo post quoque vomitus intrabat et quidem fere semper aliquot post coenam horis. Vomitus paulatim crebrior factus et tempore, quo aegrotam vidi,

quotidie fere ingruebat. Odorem habebat massa ejecta valde acidum, ejus color erat fuscus coffeae similis. Regionem epigastriam manu explorans nullam indurationem, au tumorem sentire poteram, certe interdum tantum tumorem tactu percipere mihi contigit. Appetitus erat exiguus et aegrota nulla nutrimenta assumere audebat. Sitis erat modica, lingua rubra, mera atque humida. Pulsus non erat exilis, 70 circiter ictus in sexagesima horae parte.

Aegrotae in nosocomium receptae propter magnam alvi obstructionem pulvis e magnes. carb. et rad. rhei compositus dabatur. Prognosis erat pessima auguranda. Morbus carcinoma pylori declaratus est et cura, quum radicalis institui non posset, symptomatica erat.

Aegrotae ordinatum:

Rcp. Aq. amygd. amar.
Aq. cerasorum aa ℥jj.
Morph. acet. gr. β.
MDS. Omni bihorio guttae XV—XX sumendae.

Status aegrotae longum per tempus idem erat. Modo alvus erat obstructa, modo soluta; dolores modo aucti, modo minuti. Nonnullis quoque diebus aegrota cibos capiebat et vomitus non intrabat; aliis vero diebus cibi statim vomitu rejiciebantur. Somnus aegrotae erat brevis et plerumque paucas tantum horas explebat. Paulo post dolores aegrotae vehementissimi fiebant et taedium oriebatur remediorum ordinatorum. Quamobrem aegrotae datum est:

Rep. Morph. acet. gr. 1 β
Aq. laurocer. ℨjj. D. S. omni bihorio gtt. XX.

Haec remedia dolores istos paululum comminuebant atque aegrotae somnum parabant. Ad alvum solvendam ei ol. ric. porrigebatur.

Aegrotae status per mensem fere non mutabatur. Subito vero alvi consequebantur fluxus crebri, aliquot per dies constantes et maximis cum ventris doloribus conjuncti.

Administrabatur tinctura ferri pomati, gtt. 30—40 ter per diem.

Aegrotae autem conditio erat tristissima, maxime debilitata duos fere per dies oculis clausis moribundae instar jacebat. Pulsus erat tam debilis, ut vix percipi posset.

Omnia medicamina nunc seposita sunt, quod omnis vitae servandae spes evanuerat. Aegrota his molestiis longe cruciata tandem morte die 4. mensis Januarii a. 1848. liberata est.

Necroscopia 24 horis post mortem instituta est. Integumentis abdominis dissectis haec praecipue inventa sunt. Pro macie permagna in vita aegrotae observata organa quoque interna erant valde imminuta. Pulmones erant integri, perparva hepar et lien. Ventriculi ambitus admodum erat contractus, ejus cardia, fundus atque parietes carcinomate non correpta. Sedem habebat scirrhus in pyloro, cujus ostium ita erat coarctatum, ut ne digito quidem minimo in duodenum perveniri posset.

Alium morbi casum sub ausp. Cel. Wolff observatum paucis allaturus sum:

Joannes Wunsch, nauta, 37 a. natus nonnullo ex tempore dolore permagno cruciabatur in regione epigastria una cum ructibus et vomituritionibus. Antea semper valetudine gaudebatur. Causam morbi addere non poterat. Quum dolores illi in dies vehementiores fierent, aegrotus, qui ante nullius medici auxilium petierat, in nosocomium Caritatis sese recipi cupiebat. Id quod die 29. mens. Januar. a. 1848 factum est. Aegri facies valde erat collapsa totumque corpus debilitatum. Pulsus erat normalis, lingua pallida. Deglutitio, quamvis ventriculi sensibilitas valde esset adaucta, non erat difficilis. Aegrotus valde conquerebatur de anorexia, ructibus illis acidis ac vomituritionibus. Dolores, qui in dies creverunt, ad columnam usque vertebralem porrigebantur. Digitis abdomen perscrutantibus sese praebebat durities in regione epigastria. Paulo post vomitus quoque intrabat.

Morbi, qui carcinoma ventriculi diagnoscebatur, cura instituta est haec:

Aegroto potui dabatur lac, cibo panis lacteus. Emplastro cicutae ventriculo applicato, ordinabatur:

Rcp. Solut. morph. acet. (gr. j) ℥jβ.
M. D. C. Omni bihorio gtt. XX—XXX sumendae.

Remedia vero nullum habebant successum. Nulla intrabat symptomatum relaxatio, imo alvi fluxus creberrimi adveniebant et aegroti vires in dies magis imminuebantur. Ejus status erat miserrimus, paucis vero diebus post morte absumtus est.

Cadavere 24 post horis dissecto, carcinoma prope pylorum inventum est.

LITERATURA

Abercrombie l. c. p. 78.

Andral clinique medicale.

H. Bressler, Krankheiten des Unterleibs. Berl. 1841. Bd. 1.

Bleuland, de difficili aut impedit. alimentor. ex ventricul. in duoden. processu: Leid. 1787.

L. V. Bénech. Traité des cancers de l'estomac. Paris 1824.

Cruveilhier, anatomie pathologique. Livr. 4. u. 27.

Fr. Chardel, Monographie des dégénerations scirrh. de l'estomac: Paris. 1808.

P. I. B. Daniel, dissert. sur le squirre de l'estomac. Paris 1804, 4.

F. Fd. Franz, dissert. de angustatione pylori callosa. Marb. 1796.

Ferrus im Répert. géneral des Sc. med. Paris 1836. Analecten über chronische Krankh. Band 1. Seite 433.

M. Germain, dissert. sur les causes et de diagnostic du squirre du pylore, Paris 1817.

Heyfelder, Studien im Gebiet der Heilwiss. Stuttg. 1838, Bd. 1. S. 137.

Klaproth in Hufel. Journal 1829. St. 1. S. 127.

Karstens diss. de scirrh. ventric. Kil. 1809.

G. A. Langguth, de tabe sicca lethali ex callosa pylor. angustia, Wittenb. 1750. In Haller dissert. pract. t. III.

J, P. Leveling, de pyloro carcinomatico, Ingolst. 1777.

M. E. Naumann, Handbuch. Berl. 1834. Band IV, Abth. 1, S. 514.

J. C. Pohl, de callositate ventriculi ex potus spirituosi abusu, Leipzig 1771.

René Prus, recherch. nouvell. sur la nature et le traitement du cancer de l'estomac. Paris 1828, 8.

J. N. Petzhold, Abh. v. den Verhärtungen und Verengerungen des unteren Magenmundes, Dresd. 1787.

Rokitansky, l. c. Bd. III. S. 200.

M. Schuller, D. de scirrho ventriculi. Wirceb. 1824.

Suaire, D. Considerations sur le cancer de l'estomac. Par. 1836.

C. W. Triller, dissert. de fame lethali ex callosâ oris ventriculi angustia. Wittenberg, 1750. Opusc. med. Vol. 1.

VITA.

Carolus Guilelmus Perwo, confessioni addictus catholicae, die XIX mensis Decembris a. MDCCCXX, patre Francisco et matre Anna e gente Peter, quos Deus O. M. hucusque mihi servavit, Wormdittae, oppido Borussiae Orientalis, natus sum. Primis litterarum elementis imbutus a. MDCCCXXXIV gymnasium petii Brunsbergense, postea vero gymnasium frequentavi Palaeopolitanum Regiomonti. Auctumno a. MDCCCXLIII cum testimonio maturitatis dimissus almam petii Albertinam et a professore Ill. Neumann, t. t. prorectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, a professore Ill. Seerig, t. t. decano maxime spectabili, in medicorum album relatus sum. Quattuor per semestria hisce interfui lectionibus:

docuerunt me logicen Cel. Taute;

psychologiam Ill. Rosenkranz;

osteologiam et syndesmologiam Cel. Burow;

zoologiam, splanchnologiam et angiologiam Ill. Rathke;

anatomiam generalem, myologiam et neurologiam atque artem cadaverum rite secandorum Ill. Burdach jun.;

physiologiam Ill. Burdach sen.;

chirurgiam Cel. Burow;

botanicen et generalem et specialem Ill. Meyer;

physicen experimentalem et organorum sensuum Ill. Moser;

chemiam experimentalem, zoochemiam et phytochemiam Ill. Dulk.

Praeterea interfui excursionibus botanicis duce Ill. Meyer et repetitoriis chemicis duce Ill. Dulk.

Auctumno a. MDCCCXLV Berolinum me contuli, ubi rectore magnifico Ill. Trendelenburg a decano maxime spectabili Ill. Hecker studiosorum medicinae numero adscriptus sum.

Per duo semestria disserentes audivi:

de materia medica Ill. Mitscherlich;

de pathologia et therapia generali et speciali Ill. Schoenlein;

de physiologia organorum sensuum Ill. Müller;

de vulneribus Ill. Juengken;

de morbis infantum Cel. Ebert;

de vermibus entozois Cel. Erichson.

Praeterea scholis clinicis interfui Ill. Juengken et Cel. Wolff.

Auctumno vero a. MDCCCXLVI rebus militaribus coactus Regiomontum redii, ibique a rectore magnifico Ill. Meyer in civium academicorum numerum receptus sum. Per duo semestria docuerunt me:

artem obstetriciam et theoreticam et practicam Ill. Hayn;

ophthalmologiam, artem fascias rite imponendi et aciurgiam Ill. Seerig.

Praeterea frequentavi clinicum medicum Ill. Sachs;

policlinicum medicum Ill. Hirsch;

clinicum et policlinicum chirurgicum Ill. Seerig;

clinicum obstetricium Ill. Hayn tum auscultans, tum practicans.

Auctumno a. MDCCCXLVII Berolinum reversus ab Ill. Müller, rectore magnifico, in civium numerum academicorum receptus et apud Ill. Juengken, decanum ordinis medici maxime spectabilem, nomen professus sum. Scholis clinicis Cel. Wolff et Ill. Juengken interfui, aegrotorum curas in me recipiens.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago maximas semperque habebo.

Jam tentaminibus, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Natura sanat, medicus curat morbos.
2. Venaesectio apud infantulos rejicienda est.
3. Sunt certa graviditatis signa.
4. Febris intermittens est morbus nervorum.
5. Cholera asiatica non est morbus contagiosus.